

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 2: De aliis peccatis

Caput 1: De peccato (9)

Idem (Gregorius):

Qui in maculis reati ambulat, gressus suos ambulando implicat,
et cum se expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet etiam obligatur,

quia funis stringitur in peccato.

Insuper facit deus quosdam peccare in quibus et alia peccata praecesserunt,
ut iusto iudicio eius mereantur interire.

Quedam de ira dei veniunt peccata que pro merito aliorum peccatorum compensantur.
Unde et propheta inquit: Tu iratus es et nos peccavimus, in ipsis fuimus nos semper,
tamquam si diceret, quia in peccatis semper fuimus iratus es ut deterius peccaremus.
Quid enim sit ira dei promereri, quid eum provocare, prudens lector scire debet.
Gravior namque est ira que provocatur, quam que meretur.
Nam meremur, quando ignorantes peccamus,
provocamus, quando scimus bonum facere, nec volumus.

Qui pedes in rete mittit, non cum uoluerit eicit,
sic qui in peccata se deicit non mox ut uoluerit surgit;
et qui in maculis retis ambulat, gressus suos ambulando implicat;
et cum expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 14.11 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.704, ll.2-6).

Quia uidelicet stringitur finis in peccato.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 14.11 (CCSL 143A, M. Adriaen ed., p.705, ll.21-22).

Facit ergo Deus quosdam peccare, sed in quibus iam talia peccata praecesserint,
ut iusto iudicio eius mereantur in deterius ire.
Talia quippe peccata praecedentibus aliis peccatis prolabuntur in poenam quam peccata merentur.
Quaedam de ira Dei ueniunt peccata, quae pro merito aliorum compensantur peccatorum.
Vnde et propheta: Ecce, inquit, tu iratus es et nos peccauimus, in ipsis fuimus semper,
tamquam si diceret: quia semper in peccatis fuimus, iratus es ut deterius peccaremus.
– Quid enim sit iram Dei mereri, quid uero prouocare, prudens lector debet scire.
Gravius namque est ira quae prouocatur quam ea quae meretur.
Nam meremur, quando ignorando peccamus;
prouocamus, quando scimus bonum facere, nec uolumus.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 2.19.5-7 (CCSL 111, P. Cazier ed., pp.134-5, ll.29-42).